



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

234. An Fratres Minores possint recipere anniversaria perpetua, & legate
perpetua annuorum reddituum pro fabricia Ecclesia, vel alio usu divini
cultus? Et an si aliquis instituatür hæres cum onere, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CCXXXIII.

An si licitum legatum annuū Fratribus Minoribus relictum pro infirmaria? Et de aliis legatis agit pro supra dictis Fratribus? Ex p. 3. r. 2. Ref. 33.

Negatiue respondet Sanchez in Summ. tom. 2. lib. 7. capit. 26. numer. 47. & Paulum Glemonensis in tract. de legatis perpetuis relictis Fratribus D. Francisci de Observantia, part. 4. §. 6. num. 19. Hæc opinio est probabilis. Sed contrariam probabilem etiam esse puto, quam tuerur ex veteribus Ananias consil. 30. à numer. 3. vsque ad 5. & ex recentioribus Rodriguez in qq. Regul. tom. 2. quest. 126. artic. 4. quem nouissimè citat. & sequitur Laurentius de Portel in dubiis Reg. verb. legatum nu. 7. ubi sic asserit: Licitum est legatum relictum Minoribus, etiam si fit annuum, pro necessitatibus infirmorum. Sic ille.

2. Notandum est etiam hinc obiter. Primò licitum esse; contra Azorium part. 1. lib. 1. cap. 23. quest. 1. 5. & Paulum Glemonensem ubi supra, annuum legatum relictum Fratribus pro fabrica templi, vel Sacelli, aut pro vestimentis, & ornamentis Ecclesie; & Sacristie quia nec Clem. eximii, de verb. significat. in 6. nec regula D. Francisci prohibet legata pro Ecclesiis; sed pro eorum victu; & ita docent Homobonus de Bonis in exam. Eccles. part. 2. tract. 9. cap. 11. questio. 33. Menochius tom. 2. consil. 114. Bonacina de contr. disp. 3. quest. vit. punct. 3. & alij penes ipsos: qui etiam docent cum Sanchez numer. 46. & Layman ubi infra, valere legatum annuum dictis Fratribus relictum pro studio, & emendis libris; & hoc etiam docet Hieronymus Rodriguez in cõpend. qq. Regul. resol. 88. num. 10. quidquid in contrarium asserat Quelada in diuersis qq. iuris cap. 22. num. 23.

3. Nota secundò contra Paulum Glemonensem ubi supra part. 1. §. 4. num. 4. valere legatum annuum relictum dictis Fratribus, si non attingat spatium decem annorum; nam tempus infra decennium modicum est; & ita tenet Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 5. cap. 10. num. 4. cum Sanchez num. 39. & alij penes ipsum.

4. Sed difficultas est; an minores sint capaces legati relictii ad vitam alicuius Fratris Layman ubi supra negatiue sententia videtur adherere; præsertim si Monachus sanus, ac valens corpore sit, cum ius annuatim recipiendi tota hominis vita pluris æstimari soleat, quam ius percipiendi ad decennium.

5. Atamen his non obstantibus Sanchez num. 40. qui citat Federicum, Antonium, & Abbatem, affirmatiuam sententiam docet, quem ego sequor; ideo dicendum est, non esse legatum annuum perpetuum, vt sic Minores non sint illius capaces: quando legatum relinquatur ad vitam alicuius Fratris Minoris.

6. Nota tertio cum Villalobos in summ. tom. 2. tractat. 30. diffi. 12. numer. 8. quod testator potest in fauorem Fratrum Minorum de Observantia facere testamentum in hæc forma, videlicet, [Instituto à mi alma por hereda en esta forma, que quiero, y es mi voluntad que lo que restare de mi hacienda se venda por mis testamentarios, y lo que dello se hiziere, se gaste en pescado, azeyte, pan y otras cosas, que son de limosna al Conuento de san Francisco desta ciudad; y puesta clausula desta manera, lo podran hauer qualesquieras Religiosos de nuestra Orden por recoletos que sean.] Ita ille, qui etiam, Tom. VII.

& optimè notat cum Portel, & aliis, quod licet Fratres Minores [non puden ser herederos, por razon de ser incapaces de dominio, puede el luez de oficio obligar à los testamentarios, que de à los dichos Religiosos por via de limosna, lo que les fue dexado en el testamento y que esto lo puede pedir qualquiera del pueblo.] Et hæc dicta iusticiant in gratiam Fratrum Minorum, qui Deum pro me ñeprecabuntur.

Sup. hoc in tom. 6. r. 7. Ref. 14 §. vlt. prope finem à verb. solamente puede

RESOL. CCXXXIV.

An Fratres Minores possint recipere Anniversaria perpetua, & legata perpetua annuorum reddituum pro fabrica Ecclesie, vel alio usu diuini cultus?

Et an si aliquis instituat heres cum onere, vt hereditatem vendat, & pretium in Fratrum Minorum necessitatibus conuertat, testamentum sit validum?

Et an non solum in hunc modum heres possit institui, sed etiam cum onere, vt quotannis in perpetuum det aliquid prædictis Fratribus Minoribus sine in sustentationem, sine pro Ecclesia, domo & similibus?

Et notatur, quod si Fratribus Minoribus res aliqua immobilis relinquatur à testatore, absolutè nihilominus legatum valet, & pretium vendita hereditate, vel re aliqua alia, debet dari Fratribus Minoribus. Ex p. 10. r. 14. & Misc. 4. Ref. 67. alias 65.

§. 1. Circa præsentem materiam alibi aliqua adduxi, & latè adducam in tractatione peculiarari circa Nostram Religionem; hinc tantum adducam, quæ scribit, & docet Pater Magister Texeda Ordinis Prædicatorum in Theol. Mor. tom. 1. l. 2. r. 2. dub. 4. controuers. 17. numer. 21. ubi sic ait: Dico sexto: Nec etiam repugnat Fratrum Minorum paupertati recipere Anniversaria perpetua à Testatore relicta, vt pro factis celebrandis, & aliis diuinis officiis pro testatore faciendis singulis annis aliqua summa pecuniarum ab herede elargiatur: Contrarium huius tenet Sanchez Sum. 2. tom. lib. 7. cap. 26. num. 44. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 17. numer. 23. Existimantes Fratres Minoribus minimè licere, repugnareque proinde eorum laudabili paupertati: ceterum conclusio nostra asseritur à Syluestro, verb. Legatum 11. quest. 3. dist. 2. Tabiena verb. Legatum Manuel questio. 9. regul. tom. 2. questio. 126. artic. 4. D. Antonino, 3. part. tractat. 18. capit. 1. §. 12. Corduba in regular. D. Francisci, quest. 16. & 17. & probatur, quia minimè repugnat Fratrum Minorum paupertati stipendium recipere pro Sacris, & aliis diuinis Officiis faciendis, vt experientia est testis: ergo Legatum in quo iubetur à Testatore, vt elargiatur singulis annis Fratribus Minoribus aliqua quantitas vt Sacra celebrentur, & alia diuina Officia pro eo perfoluantur, est validum: vnde asserit Diuus Bonaventura, quod quamuis Religiosi D. Francisci non possint petere in iudicio tales annuos redditus, nihilominus si hæres noluerit, posse licite denunciare Iudici, vt faciat adimplere voluntatem Defuncti: nam hoc non est actus domini, vel proprii iuris, nec repugnat paupertati, præcipi è cum id faciat ratione oneris, quo est grauatum Monasterium. Obicitur, huiusmodi Legatum est annuorum reddituum, & perpetuum: ergo tollit omnino Fratrum Minorum mendicitatem, cum id in victu, & vestitu eorum expendendum sit. Respondetur cum Syluestro, verb. Hereditas, quest. 7. distinct. 2. n. 10. & immediate citatis, negando Antecedens; quia illi annui redditus nec vt sic à Fratribus Minoribus acceptantur, & possidentur, sed vt stipendium, vt elemosina pro Sacris celebrandis, ac diuinis officiis perfoluendis pro anima Testatoris, aut pro quibus iusserit. Secundo Respondetur, quia etiam si relinquatur vt redditus per-

Alibi in Resolur. præterita §. 2. & id alio §. nor. 1. prædicti §.

petur, possunt tamen recipi pro emendo frumento, vino, & aliis necessariis ad cultum diuinum, pro quibus recipere redditus perpetuos non repugnat Fratrum Minorum paupertati, nec eorum Regula, vt dictum est. Huc utque Texeda, qui *anteannum*. 16. hæc etiam asserit: Dico quinto: quoties annui redditus legantur Fratribus Minoribus etiam in perpetuum non pro eorum vestitu & victu, sed ad quædam necessaria pro vsu diuini cultus validum est legatum, nec Minorum laudabilis paupertas quoquo modo violatur: Contrarium huius tenet Azorius, 1. *Instit. moral. lib. 1. cap. 23. quest. 15.* asserens annuos redditus perpetuos aduersari Fratrum Minorum paupertati; atque adeo eiusmodi legatum esse inutile: sed nostram conclusionem tenet Baldus supra cum aliis, & prob. vera, quia annui redditus huiusmodi non legantur pro victu, & vestitu Fratrum Minorum, nec pro aliis ad corporea pertinentibus, sed pro necessariis ad diuinum cultum, ex quo non tollitur, nec diminuitur mendicitas eorum. Sed obiicit Azorius; nam in *Clemen. adducta exius §. quicumque annui redditus*, interdicitur Fratribus Minoribus recipere quoscunque annuos redditus: ergo cum ius non distinguit, nec nos etiam debemus distinguere. Sed respondetur, Textum solum ibi loqui de annuis redditibus ad victum & vestitem Minorum Fratrum pertinentibus, non verò de redditibus ad cultum diuinum necessariis, nimirum ad emendum panem, & vinum pro Sacris celebrandis, vel Calices, & Casulas, & alia huiusmodi. Quare dicendum puto, consuetudinem Religionis Minorum & cæterarum aliarum, quæ similem in communi seruant paupertatem, hos reddituum modos admittere, ideo dicendum est posse non repugnare eorum paupertati habere huiusmodi redditus pro expensis fabricæ, & Sacrificiæ, quia vt bene Angelus, & Siluester, Religiones non obstante earum paupertate, & mendicitate possunt acquirere ius civile ad huiusmodi redditus, & constat hoc ex *c. vlt. de Testam.* & cap. *Nimis 1. de Excessibus Prælat.* quatenus in illis huiusmodi legata Religiosis facta generaliter approbantur, peculiaria priuilegia in eorum fauorem conceduntur. Et probatur; quia tales redditus cum non dentur Fratribus Minoribus, vt ab illis possideantur, sed solum fabricæ Ecclesiæ, aut Sacrificiæ, seu pro reparatione eorum, quæ ad diuinum cultum necessaria sunt, ipsi Fratres re vera solum sunt Administratores talium reddituum, quia ratione bene possunt dici habere ius civile ad eos exigendos solum quidem tanquam economi qui operis pijs curam gerunt. Porro obseruandum est non licere Fratribus Minoribus, nec aliis, quorum Religio similem profitetur paupertatem conuertere huiusmodi annuos redditus, aut partem eorum in alios vsus Monasterij, vel Religiosorum, sed solum in illum diuinum cultum, aut fabricam Monasterij, ad quem deputati sunt; nam aliter facientes, contrauenerint paupertati, quam in communi seruant, vel ex præcepto, vel ex Regula, & talis vsus esset contra voluntatem Testatoris, seu Donantis; vnde ipsi Religiosi nullum ius habent vt in alios vsus illos redditus expendant, præter illos ad quos a donante deputati sunt, & ideo non aliter licet eis illis vti, nam ideo illos redditus perpetuos possunt Fratres Minores recipere, & pro illis exigendis agere in iudicio; quia sunt illius operis Administratores, & economi. Hæc omnia Texeda, cuius sententiam licet nouissimè non approbet Pater Dicastillus, de *Instit. lib. 2. tract. 8. disp. 1. dub. 13. n. 308.* tamen illam admittit *Mantica de coniectur. vltim. volum. lib. 8. tit. 6.* Bonacina de *Contract. disp. 3. quest. vlt. punct. 3. num. 8.* & alij quibus ego adhareo.

Sup. hoc in 2. Sed si aliquis hic obiter querat, an si instituator

hæres cum onere vt hæreditatem vendat, & pretium in Fratrum Minorum necessitates conuertat, Testamentum sit validum? Et affirmatiuè respondet Lefsius, Layman, & alij, quos citat Dicastillus, *ubi supra n. 312.* Dico itaque validum esse Testamentum, in quo Fratres Minores non instituantur hæredes principaliter, sed alius à Testatore signatus succedendi in hæreditatem capax, cum clausula, id est sub conditione vendendi hæreditatem, & quod pretium in Fratrum Minorum necessitates conuertatur: Et probatur, quia tunc Fratres Minores non succedunt in aliquid ius defuncti, nec in eos transit rei immobilis hæreditas: nec sunt verè hæredes, sed legatarij, quibus à defuncto per modum elemosinæ, & causæ piæ donatur pretium illius hæreditatis, cuius dominium non ad Minores spectat, sed ad eum, qui in Testamento à Testatore fuerat nominatus, & signatus, & vocatus cum onere tamen, & obligatione vendendi hæreditatem, quæ hæreditas vendi debet: & existimatio eius Minoribus donari iuxta Testatoris voluntatem; nam tunc Fratres Minores, non vt domini ad eum defuncti hæreditatem, sed solum vt pauperes recipient elemosinam.

3. Sed plus addit. (nota Lector) doctus Dicastillus *loc. cit. num. 311.* non tantum hoc modo relinqui posse vni tertio bona immobilia hæreditario iure, vt vendita hæreditate pretium Fratribus tribuat, sed etiam cum onere, quotannis in perpetuum det aliquid prædictis Fratribus, siue in sustentationem, siue pro Ecclesiæ, domo, & similibus, ita tamen vt ipsi Fratres non censeantur adquisisse ius exigendi hos annuos redditus; sed solum ex parte hæredis sit obligatio tanquam onus impositum à Testatore. Ita Dicastillus.

4. Et tandem nota, quod si Fratribus Minoribus res aliqua immobilis relinquatur à Testatore absolute, non explicando an vendi debeat, & conuerti in eorum vsus necessarios, adhuc nihilominus Legatum est validum, & pretium vendita hæreditate debet dari Fratribus Minoribus. Ita Texeda, *ubi supra n. 14.* quicquid in contrarium asserat Azorius, *tom. 1. lib. 2. cap. 23.* quia quoties agitur de pia, & Religiosa causa, & verba simpliciter sunt prolata debent in casu dubij interpretari in fauorem eius, ne actus maneat suo valore destitutus: ergo cum verba huius Legati rei immobilis Fratribus Minoribus relicta, simpliciter sint prolata, quamuis eius (quatenus immobilis) sint incapaces, cum tamen sint ad recipiendum pretium habiles, & possint habere existimationem rei iam venditæ, legatum valet pro secundo, cuius sunt capaces, atque adeo hæres tenetur rem illam vendere, & pretium Fratribus Minoribus elargiri.

RESOL. CCXXXV.

An possit fieri legatum alicui Religioso professo cum conditione, vt nihil acquiratur Monasterio?
Et aliqua alia circa hoc adnotatur. Ex. p. 3. tr. 1. Rel. 34.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondeo cum Homobono de *bonis in exan. Eccles. part. 2. tract. 9. c. 8. §. 2.* vbi sic ait. Et si donatio causa mortis, vel legatum factum Religioso professo cum conditione, vt illud habeat independentem ab eius Prælati voluntate, validum non sit, cum hoc omnimodo paupertatis voto aduersetur; subsisteret tamen, si relinqueretur, ita vt nihil Monasterio acquiratur; quia legatum illud intelligendum est, vt Religiosus illud habeat oculis Prælati conuenticibus, qui si illam licentiam dare nolit, relicta expirat, Ita ille, & ante illum Molfæus in *summa*.